

WIEDICHTA MORTATORIA

1717

IN ADOPTATIONE  
THEORIE INHERITATIONIS

MICHAELI AERBETI



CHRISTIANI BECKER

SERENISSIMO PRINCIPI  
AC DOMINO  
DOMINO  
**AUGUSTO**  
LUDOVICO,  
PRINCIPI ANHALTINO,  
DUCI SAXONIAE  
ANGRIAET WESTPHALIAE,  
COMITI ASCANIAE,  
DOMINO BERNBURGI AC SERVESTAE,  
ORDINIS REGIARVM MAJESTATUM POLONIAE  
AC PORUSSIAE ALBAE ET NIGRAE AQVILAE,  
EQVITI CELSISSIMO,  
RELIQVA,

DOMINO SUO  
INDULGENTISSIMO.

D O M I N O S U  
I N D A T C E M T I S S I M O

SERENISSIME PRINCEPS  
DOMINE CLEMENTISSIME,



1 *llustria venerandæ antiquitatis coruscant exempla, quæ Celsissima Principali & Heroica dignitate fulgentium Personarum merita splendidissima coluerunt & decoraverunt gloria,*

ria, sub quarum umbone & magnificentissimo  
nitore devoutissimæ mentes mellifluam roridam-  
que felicitatis suæ spirant hauriuntque au-  
ram. Quo spiraculo animatæ omnes suos co-  
natus lucidæ ac gloriose buic auroræ demis-  
sissimis consecrant votis. Quanta etiam TUA  
**GLORIOSE PRINCEPS** bonas mentes illu-  
minet relevetque Indulgentissima Clementia, in-  
numera eximiaque comprobant documenta.  
Tenuis equidem sortis TUIS gratiostissimis ocu-  
lis me testem perhibere vix vereor humillimum,  
immensa Clementissimæ Munificentiae TUAE  
Specimina, quibus pie defunctos Avum & Ge-  
nitorem meum, quorum sacros veneror manes,  
beare ac Celsissimo Gratiae iubare illustrare & ir-  
rorare suevisti, subjectissimo præconio concele-  
brans. Ad sacram eandem ego etiam configilio  
anchoram, qui Patre Matreque orbatus, tem-  
porales tantos, quos Omnipotens Orphanorum  
tutor, protector ac nutritor substituit, sanc-  
vit & induxit, tutelares veneror Deos. In-  
ter

ter Eos TU SERENISSIME PRINCEPS  
a cœlesti Pantarcho ac Summo Duce admiran-  
da comitate, consummata æquitate, præglo-  
riosa Clementia, commemorabili Sanctitate  
ornatus, tam in propriis TUIS regionibus,  
quam apud exterorū insigni emines fulgore.  
Hæc omnia animum mibi dederunt, ut in de-  
votæ mentis testimonium & gratissimæ indolis  
Symbolum TIBI AUGUSTE PRINCEPS  
hanc Inauguralem Dissertationem meam con-  
secrem, memoriam Avi & Parentis mei sub-  
iectissima pietate recolam, TUAEque Clemen-  
tiæ, Protectioni atque auxilio humillime me  
submittam atque commendem; addita devota  
imploratione, ut ejusdem almae Inclytæque Cle-  
mentiæ, qua Parentes meos erexisti, me fere  
derelictam prosapiam gratioſiſſimo nutu parti-  
cipem facere velis. Calida ad Deum fundo  
& spiro vota atque suspiria, ut SERENIS-  
SIMUM PRINCIPEM, Ejusque AUGU-  
STAM THORI SOCIAM, totamque  
CHRISTIANUS SILENTIUS RICCIUS  
PRIN-

*PRINCIPEM FAMILIAM integerrimis  
animi atque corporis spiritualibus & tempo-  
ralibus prosperitatibus florentissimo perfectis-  
simæ Sanitatis augmento ac reliquis peren-  
nantis felicitatis incrementis largissimo Sum-  
mæ beatitudinis flumine irrigare & fæcunda-  
re velit, ut sub alis tantæ Celsitudinis tantæ-  
que Gloriæ PRINCIPIS SAPIENTISSIMI  
felicem me esse, fieri & persistere liceat ac dici  
queam*

SERENISSIMI ET AUGUSTI  
PRINCIPIS

DOMINI CLEMENTISSIMI

Dab. Hala Magdeb. Calend. Julii  
A. R. S. c. I. CCCLXIII.

CHRISTIANUS SIGISMUNDUS BECKER.



## PROOEMIUM.



Edicorum opprobriis, atque erroribus communiter annumeratur cunctatio, negligentia, procrastinatio & obliviousa necessarii sui officii, in salutem & conservationem hominis dirigendi, dilatio & retardatio, qua commoda occasio aut opportunitas temporis pratermittitur & detrimentis sanitatis ac praejudiciis vita libera accrescendi & increbescendi mora conceditur. Nec medicis solum turpitudini ducitur, si negligentiori mora & procrastinatione suo funguntur munere, sed in omnibus actionibus humanis certius inde damnum metuendum erit: jure itaque meritoque otiosam & obliviousam in medicina reprehendimus cunctationem, a qua tamen prudens & perita variarum circumstantiarum expectatio &

A a mul-

a multis tentaminibus dubiis, ambiguis & fallacibus abstinentia distinguenda est: hinc nonnulli casus moram necessariam atque utilem requirunt, ne præcipitata officiositate ars placidos atque liberos natu-  
ræ motus & ordines turbet, quare nonnunquam in mora salus versatur, dum infaustus nonnullarum actionum eventus ad plorabiles querelas ansam præbet, utinam opportunum tempus patienti moderatione expectatum fuisset, quia non raro moram ne-  
tere, meliores promisit rerum successus, juxta illud  
**OVIDII 3. Faſtor.** differ. habent parvæ commoda magna  
*mora:* sic de *Auguſto Caſare* refert **FULGOSIUS L7.**  
**c. 2.** quod illud ſemper cito factum eſſe dixerit, quod bene  
*peractum,* tardiorētē enim quæ tuta eſſet, celeritari ante-  
*ponebat,* cui periculum eſſet conjunctū: Ita historici de  
*Sapiente SOCRATE* referunt, quod illis, qui ira ac-  
*censi & inflammati* ſunt, conſilium dederit aliquam-  
*dīu moram & morem gerere,* quia multi ſub primo  
*iracundiā ardore,* quaſi furiosi & mente capti appa-  
*rent,* donec poſt parvam moram paululum resipi-  
*ſcant:* idem ſentit ſapiens **SENECA Lib. I de Ivo;** ac-  
*cedit teſtimonium SYMMACHI 3. Ep. 24.* afferentis:  
*uberiorem fructum mibi præſtit mora.* *Fucunda dilatio*  
*eſt, quæ ſimil bona plura reſtituit.* Non minori ſollici-  
*tudine boni Medicī congruæ moræ exactam ratio-  
*nem* habent, dum ordinem naturalem observantes  
*ali quando conſultius eſſe* iudicant, quando ſpectant &  
*expectant,* quæ meliori fructu alia hora, mora & occa-  
*ſione* perfici potuerant, id quod paſſim **HIPPOCRA-  
 TES, GALENUS, VALLESIUS &c.** & ex hiſce*

BOH-

**BOHNUS** de offic. med. dupl. P.I. c.9 p.194. testati fu-  
erant: ob id multi postulant, ut processus atque or-  
dines Naturæ curatius, attentius & solertius obser-  
varentur: sicut **CAMERARIUS** in Syllag. Memorab.  
Cent. I. part. 43. inquit: *præclare a VIDO VIDIO d-*  
*ētum est: medici plures sanarent, si se naturæ ministros*  
*esse agnoscerent.* Si itaque ad Medicorum veterum  
monitum Naturæ ductus, ordines atque methodos  
observare, dijudicare & imitari debemus, facile ap-  
parebit, quod nonnulla negotia sine mora, alia  
cum mora perficiantur, ideoque opportunitas tem-  
poris satis sepe exquise observari soleat: Quare Me-  
dici suo officio nec audaces atque præcipites, nec ne-  
gligentes & otiosi esse debent: interdum etiam pru-  
dens expectatio aut mora plus valet, quam sollicita  
& impatiens officiositas; hinc **SENECA** in *Agamem.*  
dicit: *quod rario nequit, sepe sanavit mora.* Alia enim  
alicujus negotii dispositio & conditio est, si mora cum  
prudentia & peritia, alia autem, si cum negligentia  
& inscitia conjuncta est: hinc frivola cunctatio sepe  
immedicabile reddit malum, juxta illud *Ovidianum:*  
*Vidi ego quod fuerat primo sanabile vulnus, dilatorum lon-*  
*gæ damna rulisse moræ.* Sobria enim interpretatione  
& sana applicatione utilis regula philosophica est,  
quaे humanis circumspetis actionibus tribui potest,  
quando referente **LAERTIO** Socrates dixit, *quod*  
*cunctando & deliberando vita humana absumatur.* Inter-  
ea inter præcipitantiam, opportunam operationem  
& moram in foro medico magna adhuc intercedit  
discrepancia, sicut inter actionem cum mora & sine

mora procedentem æque notatu digna agnoscenda erit differentia: inde adagiales innotuere locutiones: alles mit Weile, juxta Imperatorem Maximilianum, eile mit Weile, sec. Imper. Carolum: thue gemach, jē des Ding will seine Zeit und Weile haben, man müsse sich Weile nehmen, vor die lange Weile, gut Ding will Weile haben, sec. symb. *Augusti Caesaris*, festina lente, aut Aurelii, Pedetentim, spatium sumere, moram necesse &c. de *Ambroſio* refertur, quod *Theodosium* ira accensum monuerit, ut prius a. b. c. recitaret, ne sub ira se præcipitaret, & moram recuperaret, lenius judicandi, & mitius regendi. Immoderati & impatiens animi character est, moras effugere aut rejicere, & præcipiti impetu fines præmeditatos prosequi: sub hac enim tranquilla & perita mora circumstantiae rerum exactius colligi, conciliari, dijudicari, de proposito curatius deliberari & congrua atque fructuosa consilia & auxilia certius inquireti & inveniri poterunt. Non pauci reperiuntur homines, qui desperato & desolato quasi affectu ob morbi gravitatem, ob dolorum atrocitatem & ob auxiliorum paupertatem atque inopiam mox mortem oppetunt, & diutius in hac vita commorandi, morose respnuunt, quos vero sapiens Ethnicus Philosophus SENECA reprehendit, quando *Ep. 58. ad fin.* inquit: *morbum morte non fugiam, duntaxat sanabilem, nec officentem animo: non offeram mibi manus, propter dolorem: sic mori vincitur: bunc tamen si sciero perpetuo mibi esse patiendum: exibo non propter ipsum: sed quia impedimenta mibi futurus est, ad omne propter quod vivitur. Imbecillus est, & ignarus.*

*vas, qui proper dolorem moritur: stultus, qui doloris causa vivit.* Quam utilis & necessaria nonnunquam mora est, si prudenter exercetur, tam perniciosa & culposa vicepsim est, si cum levitate animi & negligencia conjungitur; siquidem plane interdum cum illa fraudulentus respectus conjungitur; hinc datur etiam in Medico æque ac Juridico foro mora dolosa, culposa & damnsa: ad quam profligandam illud SILII quadrat IV. Manil. 4 pelle moras! brevis est magni fortuna favoris; Mora saepe malorum - - - das causas. Fructuosa iraque & conscientiosa mora exercitatio & imitatio requirit animum ingenuum & judiciosum. Vulgo quidem in stadio Medico afflitti homines, de sanitatis sua conservatione, confirmatione & restitutione enixe & anxie solliciti, extemporenam & presentaneam opem anhelant atque postulant; sed regula juris medici secundum Asclepiadem non modo jubet cito, i. e. sine erronea mora, sed etiam tuto & quod magis est, jucunde, curare, subintellecta vero illa interpretatione & ampliatione in quantum videlicet in artis potestate est; nam ultra hanc potestatem, ne quidem Apollo & Aesculapius, neque Podalirius, Machaon & Hippocrates obligantur. Quemadmodum etiam in medico nimia præcipitantia & fugitiva officii sui administratio taxatur, ita negligens cunctatio, aut male fida retardatio, aut necessariorum & salutarium negotiorum prolatio & procrastinatio in eodem æque reprehendenda est. Commune enim in omni foro, quin plane in vilioribus negotiis opprobrium est, quod, si non eventus ope-

rum quoad temporis terminum haud petito eorum, quorum interest, respondet, mox frivolum, siue commodi nimis studiosam accusent increpantque Moram. Hoc dum in Medicina Practica non raro evenit, ita peculiari respectu atque studio Inaugurali praesenti Specimine de MEDICINA MATORIA brevi deductione agere & differere constituimus. Quod propositum Deo benignissimo ad exoptatos & fructuosos successus devotissimis pre-cibus commendamus.

## §. I.

**Q**uamvis plurimorum ægrotantium flagrans sit desiderium atque suspirium, ut perfecte currentur, tamen non pauci cum medico transigere malunt, si morbum *immedicabilem* esse sentiunt, ut vel illius mitigationem, vel dilationem præoptent & experant: tale testimonium SENECA de sua clamosa & calamitosa *podagra* in Lib. de vita beata cap. 17. perhibet: *non perveni*, inquit, *ad sanitatem*, nec *perveniam quidem*; *deliniamenta magis*, quam *remedias* *podagra meæ compono*; *contentus*, si *varius accedit* & *minus verminatur*. Mortem expavescentes & fugientes sa-pe morborum suorum incurabilium *mora*toriorum extensi-nem & dilationem postulant, ideoque medicum anima rugosa & tristi fronte, corporis vicissim medicum atten-sis oculis intuentur. Inde igitur quadantenus *mora*toria Curatio oritur, quam in specialiori tra&statione vocamus medelam corporis humani, qua *tardo* & *successivo* remedio-rum effectu, aut amissa sanitas restituatur, aut inevitabilis mors

*mors aliquandiu vel ingenuo, vel doloso respectu oraretur, dectis.*  
*natur & prolongatur: de quo officio medico vulgo dicitur:*  
*man suche oder mache nothige oder unnothige Fristen: oder*  
*es sey nur ein Verzug oder Kluffenthalt. Dum vero mora in*  
*curandis morbis duplici finali respectu nititur, vel in com-*  
*modum ægri, vel in lucrum medentium, ita juxta diversi-*  
*tatem hujus respectus præsens argumentum ventilandum*  
*erit: vulgo enim dicitur periculum in mora esse, quod*  
*dicterium diversimode explicari & applicari potest, sed in*  
*eo judicium medici illucescit, si in salutem ægri moram ne-*  
*tere, aut incrementum periculi aliquandiu evitare pot-*  
*est: alludit hoc SENECAE effatum Lib. i. de Ira c. 6. quibus*  
*medentes vitam largiri non potuerunt, illis facilem præstant*  
*exitum, juxta LIPSIUM eutbanasiam, id quod sane non*  
*violento modo succedere potest, quod magis homicidi-*  
*um esset, si poculo Socratico cum Cicuta, aut subtractio-*  
*ne totali sanguinis, ad imitationem fati Senecæ, perficeret-*  
*ur; unde rectius atrocissimum cruciatum & sympto-*  
*matum sedatione & successiva placida emigratione animæ*  
*ex ergastulo suo præstitum fuerat, quæ mora utique ali-*  
*qualsis necessaria est; referri huc etiam potest repetitum*  
*BOHNII dicterium de Off. Med. dupl. P. I. c. 4. p. 65. afferen-*  
*tis: medicus de primarii morbi curatione desperans, sym-*  
*ptomata nibilominus aliquatenus & eousque lenias, quo ab*  
*borum gravitate paulo levatus, aut placida magis morte de-*  
*fungatur, id quod sine mora impetrari haud potest: &*  
*porro p. 69 inquit: aliquando auxiliis medicis virom propo-*  
*gare ac mortis imperum sufflaminare licet, parvum illa he-*  
*ticorum consumctorum therapia evincit, quam vel ideo*  
*GALENUS X. metb. med. io. commendat, si maluerit for-*  
sasse

zaffer propinquorum aliquis atque etiam æger ipse aliquo spacio adhuc vivere, quam illico mori, & potro: convenit non tantum pro christiana pietate, sed humana quoque charitate ægris, etiam declamatis, pro modulo subvenire; si non a morbo liberentur, saltem ut hunc cum morte mirius ferant, Et in bujus articulo quasi constitutos, non omnis spes decolleret, utpote quod laudabilius erit, quam in tanto agone infirmum sine levamine, cum crudelioris nota relinquere: quod ipsum necessarium officium medicum non sine judiciosa mora administrari potest. Quoniam etiam Medicus proprium officium est, ut hominum vitam & sanitatem quo usque fieri potest, conservet, defendat & adjuvet, ideo facile liquet, quod mortem non accelerare, sed ad extreum usque, quo usque videlicet artis medicæ potestas pertingere potest, omni dexteritate, sollicitudine & assiduitate avertere debeat: & tale officium haec Moratoria Medicina complectitur: ita BRUDUS LUSITANUS Lib. 3. de vietu febric. c. 19 p. 813. inquit: periti medici character est, ut non ubique festinanter artem exercet urgeatque, sed interdum prudenter moram observare sciat: alia assertione id testatur DIETERICUS in Fatr. Hipp. n. 386 p. 517. sunt morborum quidam, qui tardam amant manum pharmaceuticam, non tumultuariam: sunt alii qui curationem subitam depositunt, ut tota solutis vitaque spes a medicationis celeritate, promptaque remediorum perseverantia dependeat. Interea non raro in Medicina obrigit occasio, ut abstinendo, expectando & commorando salus & levamen hominis naturalis promoveatur. Quoniam vero cum hac mora & utilitas, & error, & damnum, & dolus committi potest, ideo variis hi respectus indicandi, separandi & congrue applicandi sunt. §. II.

## §. II.

Pervulgatum est dicterium opportunitatem & momen-  
tum temporis rosas, festinationem vicissim spinas produ-  
cere. Variis itaque textibus, morbis & occasionibus  
HIPPOCRATES moram commendat, & ut negotia medica  
sensim, paulatim, cum temporis diurnitate perficiantur,  
præcipit ita; Lib. 6. Epid. SeG. 2. text. 18. inquit: *Contraria  
paulatim inducere oportet & interquiescere: & Lib. 1. de  
Morb. Mul. p. 613. lin. 18. necessitas & temporis diurnitas  
morborum causam declarat: non obstante, quod in Epiſ.  
ad Crateram profiteatur: Cum ab omni orbe alienum sit  
procrastinatio, cum vero maxime in Medicina, in qua dilata-  
tio periculum vitae afferit. Similiter GALENUS Lib. 6. fa-  
lubr. medicam actionem probat & ordinat, que cum  
mora, sensim & opportuno tempore contingit: idem etiam  
sentit CELSUS, quando Lib. 1. cap. 3. mutationes in contra-  
rio sensim assuefaciendas esse scribit, ut neque ex nimio la-  
bore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor si-  
ne gravi noxa suscipiatur, sed quicquid mutandum venit,  
id paulatim ideoque cum mora fieri debeat. Sic etiam ju-  
dicat ZACUTUS LUSITANUS in introit. ad prax. præc. 36.  
in morbis diurnis paulatim præsidio sunt administranda:  
& sic remisse pugnandum cum morbo, ut aeger sufficere queat  
usque ad statum: nam debite agens longo tempore applici-  
tum opus facit, securius tamen: quod aurem validum, cum  
periculo solet operari, monente Galeno q. simpl. 17. Huc  
etiam referendæ sunt lenta curationes, quarum nonnulli  
medici mentionem faciunt, velut FERNELIUS Lib. 1. Me-  
dibod. med. c. 7. & Gregor. HORSTIUS in b. 1. disp. XVII.  
n. 4.5.7. unde etiam afferunt sas ciro curatum quid dici,*

B

quod

quod *sor* bene curatum est: quales curationes itaque *cum moro* prudenti peraguntur: pertinet huc assertum *Roy mundi LULLII in Secret. Nat.* unicuique *vita terminus est statutus*, quem nullo ingenio transgredi possumus, sed intra illum terminum mortem accelerare in promptu omnibus est. Ideo a medicina petendum remedium, quo corpus nostrum a purredine præseruemus & infirmatem cum moro & perito orceamus, donec venias in postremus dies, a Deo præstitur: ideo *GALENUS Lib. de Medic.* Medicum Deum tutelarem vocavit, penes quem facultatem viram prorogatricem esse, ipse affirmit. Sic ad imitationem *HIPPOTRATIS Job. Raym. a FORTIS Tom. II. Cent. IV. Consult. 47. p. 539. a.* de quodam morbo judicat, quod post certi ci-jusdam medii usum ab *opere medico vocandum aut morandum, & quies naturæ donanda sit*: talern dilationem etiam certi morbi, aut *moratorium* curationem, idem author *Cent. 3. Conf. 49. p. 381. b.* testatur. Huc etiam *VERULAMIUS in hist. Vit. & Mort. p. 497. n. 31.* de morbis *cum mora* emanantibus affirmat, quod vitam aliquando prolongent: paulo amplius talem *moratorium* medicinam commendat *Lib. IV. de augment. Scient. p. 108.* Nec pluribus opus fuit testimonis, quibus *mora* in *foco medico* per varios causas rerumque discrimina probatur & admittitur; ut nihil de *fallacibus* promissionibus dicamus, quando certis, Tincturis, Essentiis, pulveribus, Alcahest vita illa mirabilis tribuitur virtus, quod partim sub morborum cursu, partim extra illos *vitam prolongare*, mortem retardare & hominibus *moram* conciliare queant, quo mumia magnetica Paracelsi, similiaque chymicorum & alchymicorum nonnulla referri possunt arcana: ita varia alia admini-

minicula, ad eundem scopum allegantur a GORDONIO  
de conservatione virtutis humanae, a CLAUDIO DEODATO in  
Pantheo Hygiestico, ubi consilia suppeditantur, quorum  
ope homo ad 120. annos pertingere potest; accedit QUER-  
CETANI Diatericum, & prodigiosa pollicitatio de plurimis  
Sanctorum, quae agonizantibus oblatæ, mortem 24. horis a-  
vertere & retardare dicuntur. Generatim quidem boni  
medici officium est, ut prudenter & perite moram salubrem  
adjuvet, causas morbificas & mortiferas sine mora ex-  
pellat, effectum autem ejus perniciosum ita coercent, ut  
medicus mora & occasione frui queat, qua eundem coer-  
cent & extinguat: & ita medico non raro evenit, quod de  
FABIO ap. LIVIUM recensetur, eum videlicet cunctando  
res velut perditas restituisse, & in meliorem statum redu-  
xisse. Inde igitur colligere licet artem medicam inter-  
duum limitatam & subordinatam potestatem habere scire,  
perite, rite & conscientiose sanis & aegris salubrem moram  
procurare: quale officium etiam a medico non raro desi-  
deratur, quo perinde dextre fungi debet, quia ad virtutis  
conseruationem & prolongationem iuxta conscientiam  
& naturale jus obligatus est.

### §. III.

Si itaque Medicina moratoria illa functio sanitati &  
vitæ naturali idoneis consiliis & auxiliis ministrans est,  
qua utriusque labefactatio vel iactura aut bona aut aliena  
intentione aliquandiu avertitur & retardatur, ut sub hac  
dilatione varia commoda vel in subjectum affectum, vel in  
olios redundant, ita secundum duplarem hunc respectum  
vel Medicina moratoria licita & sincera, vel illicita, cul-  
posa & dolosa aestimanda & explicanda erit: (licet alias

dicatur vox corvina, manifesta ruina: aut nocuit differre paratis, vel secundum Alex. Magni Symbolum: Nil differens: vel bis dat, qui cito dat, nul dat, qui dare regardat.) Quoad priorem sensum alia talis Cura aut in sanabilibus, aut immedicabilibus morbis exerceri potest, respectu illius, videlicet affectuum morbosorum medicationi artificiosæ obtemperantium. Cum mora itaque judicioſa operatur peritus medicus, si in Subjecto quodam eminentem conspicit Pletoram, quam non promiscue expavescere & præmature sollicita curatione aggredi debet, bene pendens, non indiscretim & absolute Pletoram esse morbosam; multi enim conspicui dantur pletorici, qui integræ & aliquandiu obletice sani deprehenduntur: in hisce præcipitoto minusve necessaria medela sedatum talem plethoricum statum inquietare consultum haud est; ideo morbam diu sub consultatione observanda temperata diætæ, moderati animi, ac congrui reliqui regiminis neftenda est, donec cause quadam concurrentes antecedentes justum merum inceutunt, presentem plenoram proximi morbificam futuram; sub qua attenta circumstan- tiarum conciliatione & comparatione peritus medicus opportunitatem officio suo satisfaciendi exacte observabit: Quod porro motus & conatus ad salutares Hamorrhagias introducendas aut restituendas spectantes & tendentes concernit, tunc illos sine discrimine impellere, urgere, necessitare & præcipitare velle, haud rationali responderet medicinæ, ne loco salubris effectus, intricata stagnationes, partium consentientium oppleitiones & infarctus, turbulentis sanguinis impulsis, suspectæ ataxiae, & perti- naces anomaliae totum processum Hæmorrhagicum comi- ten.

tentur & perturbent: quam ob rem iterum *judicioſo ma-*  
*ratoria* medicina illico exercenda erit, sub qua *placida*  
*præparationes* instruendæ sunt, ut *consequens* directa moru-  
 um illorumque convenientem successum & recursum Hæ-  
 morrhagiarum prosequentium, promotio & adjumen-  
 tum meliorieffectu perfici queat: tam diu enim iterum *pe-*  
*ritus* medicus commoratur, donec *obſtacula* remota, admi-  
 nicula collecta, motus *ordinati* ac viae condigne *operatæ* fu-  
 erint: quicunq. contra in hoc spinoso & *intricato* negotio  
 rigorose, impetuose & præcipitanter procedunt, illi per-  
 niciosos effectus & tragicas consecutiones ſepe experiri  
 & expectare debent. Præterea in *Spasmodicorum* traçatio-  
 ne medica secundum *rationalem* medendi methodum in-  
 dicationes therapevticæ, nec præcipitanter, nec confu-  
 ſe administrandæ sunt, quin rectius mora observanda erit,  
 donec justo ordine certæ operationes perfici poſſunt: et  
 eam si affectus quidam *spasmodicus* ab *urgente* & *inquieto*  
 plenitudine sanguinis, aut valde moleſta & ſuſpecta *ſalu-*  
*rium* ſpontanearum & artificialium evacuationum ſanguini-  
 niſ intermiſſione ortum traxerit, tunc *urgentibus* & duran-  
 tibus illis cruciatibus haud conuenit *ſubſidiorum* ſanguini-  
 niſ subtractionem ordinare, ſed *eo usque moram* agere,  
 quoad hujus indicationis executionem, donec *vehemen-*  
*tia* atque fervor illorum motuum *remifit*: aur si talis af-  
 fectus *suppressæ*, vel insufficienter continuatae excretioni  
 ſeri *acerioris* periphericæ originem ſuam deber, tunc *pra-*  
*ſenribus* & continuantibus acerbioribus illis *doloribus* dia-  
 phoresis haud urgenda erit, ni morbus *deterior* & per-  
 nacion redatur: quare iterum quoad *materialis* cauſæ re-  
 mptionem *conveniens* mora observanda eſt: quemadmo-

dum interdum in *nonnullis* individuis sub illa mora tantum  
*patientia* & quies animi atque corporis, vel Imperatoris  
*Caroli V. arcanum*, videlicet *patientia* & *paucus clamor*  
adhiberi, insuper *magnum* illud remedium *expectationis*,  
*commorationis* & *abstinentiae* in usum trahi debet: inde etiam  
liquet hasce nominatas curationes saepe multumque  
inter se convenire, certis vero etiam respectibus atque  
casibus ab invicem distinctas esse.

## §. IV.

Quod nunc ad alios morbos attinet, in quibus *rationalis*, salubris & necessaria *mora* observanda est, sub spe  
imperrandae aut mitigationis, aut sanationis, tunc hue  
referri possunt Morbi ab *initio* sue invasionis adhuc ab-  
sconditi, *obscuri*, *clandestini* atque *occulti*, quorum cre-  
briorem mentionem facit **HIPPONCRATES**, imprimis in  
*Libr. de Arte*, ubi *s. 19. text. 9. sq.* dicit: *quæcunque orulo-*  
*vrum conspectum effugiunt, eo mentis oculis obtinentur &*  
*superantur: quæcunque vero ob id, quod non statim cognoscantur,* *ægri mala perpetiuntur, ea non ad medicos curantes ipsos, tanquam ad ipsorum aubores referenda sunt,*  
*sed ad naturam ipsius ægri, itemque ipsius morbi. Medicus enim cum non possit malum neque visu assequi, neque audiendo ex aliorum narrationibus cognoscere, ratiocina-*  
*zione ipsum prosequitur: porro text. 22. sq. pergit: quan-*  
*do igitur, neque ex ægri narrationibus ad infallibilem cer-*  
*titudinem pervenire posse, alio certe respicere medicum ne-*  
*cesse est. Quare bujus tarditatis non ars ipsa, sed corporum*  
*natura causa existit. Quando itaque morbi quidam*  
*atque locum suum magis manifesti & evidentes reddi de-*  
*bent,*

bent, tunc sane *mora* patiens & *circumspecta* adhibenda erit, quia *fugitiva* talium morborum observatio & indagatio *fallacem* opinionem & erroneam conjecturam, nullam autem ingenuam, firmam atque fidam certitudinem parit & promittit: proinde autem sub praecedente *incertitudine* quoad *practicam* eorum morborum directionem, nihil *præcociter*, neque *audacter* medicus suscipere & experiri debet, qualis ausus, *sobria* rationi *repugnans* & fortuito effectu innitens, *periculosa* atque fatales eventus, certius, quam exoptatas & salutares operationes invitat & accelerat: ne vero interea prudens medicus *timidus* & *negligens* spectator evadat, cum perita & *circumspecta* *mora* *preparationes* securas perficere, *obstacula* removere & *congruo* regimine ita morbi progressum levare & lenire debet, donec magis magisque *perspicuum* atque distinctum sese demonstret: & ita in tali intricato statu & ratio & curatio prudenti mora nihilo tamen sécius operosa, sollicita & studiosa existit. Inde etiam facile liquet, *talem* moram non cum *pigritia* & *negligentia* confundendam esse, quia cum judicio, attentione, follicitudine & peritia mente & opere, ratione & usu negotiosa est. Non rari penitus tales sunt morbi, qui *primo* suo accessu *aliam*, quam suæ *speciei* conformem induunt & præsentant faciem: hoc cum *perito* medico ignotum esse haud potest, *tamdiu* iterum *moram* ipse necrit, nec fugitive & impatienter in *talēm* morbum irruit, *donec* illius *indoles* magis *conspicua* redditur. Sic interdum febres *irregulariter* homines *plethoraicos* & *bile* turgidos velut strenua & gravis *continua* insultat & corripit species, ut *dubius* adhuc peritus sit medicus, *qualem* illam cognoscere, dijudicare atque tractare debeat,

beat, ideo *prudentem* moram capit, & interea *generalia* iterum offendicula removet, quo luculentius apparente *genuina* febris specie proprie & directe illam curare queat: ita etiam versa vice nonnunquam *continuae* febres *primo* suo accessu *intermittentem* mentiuntur genium, & sub hac larva medicum nonnunquam *seducunt*, ut *perversa* methodo illas aggrediatur, siveque legitimum illarum typum penitus corrumpat; quare hoc in casu iterum *prudenti* consilio parvam moram circumspectus medicus exercet, donec indoles febrium *terior* atque sincerior elucescat. Non raro porro crucians ille *calculosus renalis* affectus larvam depravati *ventriculi*, aut *colica* simplicioris induit, quae *simulata* facies facile iterum *fugitivum artificem seducere* potest, ut quedam aggrediatur, quae proprio affectui valde *præjudicant*, qua de causa prudens iterum mora observanda est, sub *lenissimo* illius prodromi morbosi directione medica, donec *evidentia* magis signa genuini morbi illucescant. Quoties etiam in observatione practica occurrit, quod *mensum anomale* qualitates, *initiantem* & *continuantem graviditatem*, aut *hac illum* *perversum menstruorum statum*, vel plane *cacheticum* & *hydropicum* affectum repræsentet; tunc sub hoc ancipiри statu, prudens medicus perite moram exercere sciverit, donec iterum *certiora* indicia proveniunt, ne facile gravem *errorem*, famæ artis valde *præjudiciosum* committat. Et quid dicamus de illo intricato, vexato & ambiguo affectu *Purpurato*, qui nunc spasmodicum, modo rheumaticum, mox paralyticum, alibi lipothymicum, jam hystericum, alias catarrhalem, iterum scorbuticum, aliquando anomalam febrilem praesentat genium, & per plures

res dies sub tali incerto scheme homines affligit: si igitur sub tali *anticipi* statu circumspectus & peritus medicus *congruam moram* observare nescit, maximo cum detimento *promiscuum larvati* hujus affectus curam exequitur.

## §. V.

Præter hosce, modo commemoratos, morbos, varii adhuc *alii* innoscunt, qui medicam opem requirunt & admittunt, sed qui etiam prudentem in medendo *moram* expectant & postulant: ex illis itaque sunt *morbi complicati*, quorum *causa* atque *genius*, aliquando plane *multiplex* est, ut providus artifex hæsiteret, *qualem prius* aggredi, & profligare debeat, ne dum *unum* morbum depellere conatur, interea *alter firmiores* & pertinaciores radices acquirat & graviores faciat progressus, ob id aliquando *deliberandum* est, cum *mora* & *prudentia*, quod faciendum est, semel atque prius: quoad *bunc respectum* autem non *otiosa* esse debet *mora*, sed ita comparata, ne morbum quempiam præcipitanter obruat, sed *opportu-nam* occasionem nanciscatur, donec *principalem* & *ge-nuinam* ejus causam proximus aggredi valeat: Schema istiusmodi affectus aliquando, *nec* tam raro, *febris* est, in qua duplex causa materialis aut *maligna*, velut *purpura* & simul *variolosa*, vel *purpurata* & simul *perechialis*, aut *benigna* videlicet subtile orgasticum & putrefaciens serum & simul urgens & valde turgefacta *abundantia san-guinis*, existit, in quo morbo & motus *febrilis* & molimina *hemorrhagica* simul concurrunt: aut quando affectus *bilio-sus*, *inflammatorius* & *febrilis* simul conjunctus est, vel quando rheumatici, *spasmodici* & *febriles* affectus socialitatem iniverant: sicut plures tales morborum complicatio-

C tiones

tiones sepius occurruunt, qui circumstantiarum conditio-  
 ne aliquando moratorium tales Medicinam postulant, ubi  
 interdum unum malum post alterum subjugari debet, aut  
 ubi alternativa curationis tractatio & repetitio instituen-  
 da. Ad hanc morborum seriem, peritam & prudentem  
 moram postulantium, pertinent etiam corrupti affectus,  
 qui interdum ita tumultuari & efferi sunt, ut eo tempore  
 omnem medelam respuant & excutiant, & qualibet me-  
 dicamina sollicita cura adhibita, aut frustraneum, aut pla-  
 ne contrarium usum exserant: quo tempore igitur cir-  
 cumspecti medici non nisi remotive procedere, & obsta-  
 cula tantum leni & modica directione avertere, interea  
 autem prudenti mora evanescere expectare debent, donec  
 positivo studio causam morbi profligare queant inde illae  
 tristes minusve acceptae consolations innouere, man-  
 müsse den Zufall austoben lassen, sonst würde es immer  
 schlimmer därfit. Tales enim morbi malum & immori-  
 gerum illum genium habent, ut semper contrarios faciant  
 progressus atque effectus, ut propretra prudens artifex  
 exquisitam temporis rationem aut periodum observare de-  
 beat, quando congrue & cum effectu auxilia ferre licet,  
 man müsse genau abschien, wann man ihm recht an- und  
 beykommen könne. Nec minus moram congruam in me-  
 dendo requirunt & admittunt morbi habituales, aut con-  
 fuerudinales, qui continuam quandam profligationem æ-  
 gre tolerant, sed temperata & successiva curatione corrigi  
 debent: sicut in moralibus pravae consuetudines non ri-  
 gorosa & indesinenti prosecutio, sed iterum oppor-  
 tuna, successiva & gradatim reperita emendatione & mu-  
 tatione tractari debent: interdum enim quantisper con-  
suetu-

*suetudini aliquandiu indulgendum est, ut alio tempore effi-*  
*cacius*, eidem resistere liceat; quo respectu medicus male  
*moratae & corruptae* naturae cum *mora, patientia & pruden-*  
*tia succurrere* eamque congruis auxilis prosequi deberet;  
 Idem etiam sentiendum est de morbis *hæreditariis*, qui  
 non tam *fugitive* curari possunt, sed *lento gradu* itidem  
 que *prudenti mora mitigari* rectius, quam *perfecte & ra-*  
 dicitus curari malunt: causa enim illorum *connata* est &  
 ita velur *ordini naturali* implanata, ut nulla coacta, im-  
 petuosa & *accelerata* medela *eradicari* queat; ob id con-  
 sulta magis methodus est, si *iteratis* vicibus convenien-  
 tia adhibentur *adminicula*; quæ methodus nonnisi cir-  
 cumspectam patientiam atque moram desiderat: *longior*  
 enim temporis tractus eo tantum pertinet, quo *peculia-*  
*res* hi affectus *solummodo leniri & sedari* possint: inde  
 etiam evenit, ut si tales morbi *impatienter & morose mul-*  
*tiplici*, diffusa & continua medicatione tractantur, aut  
 citius *funesti* eventus, aut *corrupti* effectus consequantur.  
 Neque silentio prætereundae sunt *Hæmorrhagia saluto-*  
*res periodizantes*, quæ perturbatae, impedire & *obstru-*  
*re* fuerant, imprimis *uterinae & hæmorrhoidales*, quas  
*promiscue* urgere, impellere & revocare velle, inconsul-  
 tum est, quare *appropinquantibus* hisce periodis, quibus  
 illæ *regulariter* *recurrere* deberent, idonea & efficacia au-  
 xilia offerre convenit: hic *ordo* si negligitur & *indiscere-*  
*tim* tales deficientes *Hæmorrhagiae* coguntur & impellun-  
 tur, pertinaciores earum aut *obstructiones* sequuntur, aut  
 inopportuna, impetuosa & enormes *eruptiones* sanguini-  
 nis vel ex iisdem, vel plane *incongrua & insolitis* locis o-  
 riuntur, ut non modo *prægressæ legitima* *Hæmorrhagiæ*

*nunquam* amplius revocari & in *ordinem* reduci queant, sed & graviores & *periculosiores* sanitatis violations, ac certiores vitae destructiones & abbreviations excitentur.

## §. VI.

Moratorium Medicinam in variis morbis *sanabilibus* & auxiliis *medicamentosis* satis *prospero* successu obtemperantibus *salubrem* & *necessariam* esse, diversis exemplis & speciminiibus *e praxi clinica* petitis indicavimus; quibus hoc ordine atque nexus e foro *chirurgico* unum & alterum statum & casum ad sociare placet; siquidem in diaetereticis, pharmaceyticis, & chirurgicis haec Medicina securum atque certum locum inventit. Quod ad *chirurgiam* itaque attinet, tunc primo loco *Fonticorum* mentionem facere lubet, quibus *mora* concedenda est, donec *solutarem* effectum edere inchoant atque continuant: communiter enim in *prima* sua operatione haud conspicuam & *sensibilem* utilitatem afferunt, unde medici hanc *non cogere* & allicere debent, quod sub aliqua spe & *praesumptione* fieri debet, si stimulantia, acria, valde colliquantia intra fonticulum tales applicantur; quare sub convenienti *solum* *diate* atque *regiminis* ordinatione & usurpatione *sequenti* effectui *solutari* *mora* relinquenda est, ut placide atque sponte ille eveniat. Si etiam consultum esse judicatur, ut fons talis, *præstito* desideraro & *fructuoso* effectu, denuo *occludatur*, ne *servitus* quedam *libero* ordini naturali imponatur, tunc consilium tale *non ira subito* ad effectum duci, sed *moderato* gradu & prudenti *mora* ipso operere perfici debet, ut interea quarumlibet functionum, vita & sanitati ministrantium successus, ab hoc *artificiali* statu,

statu in *naturalem* spontaneum ordinem transeat & revertatur. Quando etiam quaedam *inflammationes discussio-*  
*nem* respuunt & tardius ad *suppuracionem* tendunt, id quod  
*præcipue* in *glandulosis* partibus contingit, testimonio  
*Parotidum* & *Bubonum* benignorum suppurantium, tunc  
*iterum perita mora* necienda & *suppuratio placide* tra-  
*ctanda* est, ne sub illa *præcipiti* coactione *inflammatio* &  
*humorum affluxus* augetur, indeque apostema grandius  
& diutius durans reddatur: hinc *leniori* & *lentiori* matu-  
*rationi* temperata *mora* concedenda est, qua methodo  
non modo *pus exquisitum* præparatur, sed *consequens*  
*mundificatio* & *consolidatio* illius abscessus exacte, facile  
& cito acquiritur. Ita etiam *Vulnera* non *præmature*  
*consolidanda* sunt, quæ sub hac *præcipitatione* variis omni-  
*nosis* symptomatibus depravantur, ut tumores suspecti,  
*stases humorum*, *inflammatorii* motus, febries infultus,  
*perversæ concretiones*, caro luxurians, Spasmi, dolores,  
*Partis affectæ atoniae* &c. superveniant, quare *mora suffi-*  
*ciens* vulneribus procuranda est, ut non modo intime &  
*exacte* *mundificantur* & digerantur, stagnantes humores  
*resolvantur*, partes laesæ congruo ad concretionem ro-  
*bore* instruantur & partes separatae ordinate coalescant,  
inde consolidatio non modo *firmiter* & *elegantior*, sed &  
*cicatrix tenerior* & melior, proinde autem pars affecta  
*comparate* & *opportune robustior* evadit: quo *citius* con-  
*tra* tales *lesiones* continuâ ad consolidationem properant,  
*eoque urgentur*, eo magis deformis, irregularis & turbu-  
*lenta* evadit *concretio* & supervenientia *prædicta* incom-  
*moda* certius metuenda sunt: quapropter etiam hæc me-  
*dela chirurgica cum moro perfici* debet. Non minus er-

iam varii *Tumores* exquisita præcautione tractandi sunt, ne videlicet mutatio praecedentis *duritiei* in *mollitionem* quandam seducat medicum, ut promiscuo judicio materiam intrinsecus *coctam* & educendam latirantem adesse concludat, indeque ad *præmaturam* apertione alliciatur, quæ interdum *infusas* habet consecutiones, dum loco præparatae materiae vel sanguis sincerus, vel cruda & impura materia, vel semi coctum pus effluit, ut dein pessima & valde *immorigerat*, quam cacoethiam vocant, ulceratio superveniat: quando igitur nonnulli impatientes artifices, *meliorem* & certiore tumorum faciem & statum sub prudenti continentia atque mora expectare nolunt, tunc periculosos tales affectus causantur. Paucis adh. *Cataractæ* mentionem facimus: hanc si ophthalmia tri *præmature* aggrediuntur, magis illam corruptunt, quam curant: quare primo intuitu *periti* artifices mox colligunt, an affectus ad curam suscipiendam *maturus* & idoneus existat, an vero aliquandiu mora sit observanda, donec certiori spe atque successu operatio institui queat.

## §. VII.

Sed dantur etiam morbi aut *rarissime*, aut *nunquam sanabiles*, in quibus Medici hanc *Moratorium* therapiam ob duplice respectum exercere possunt; quando videlicet *onceptus* judicium de morbo formatur & *ambigua* spes concipitur, an præter omnem, expectationem solo *vigore naturali* adhuc superstite, præsente adhuc *juniori* aetate, ut & morbo ipso *diutius* durante, dum nec in *meliorem* statum revertitur, nec ad mortem tendit, es schiæ sich weder zum Leben noch Sterben an, æger prognostico reli-

stus,

Etus, in quo remedia expectatum & præcipuum effectum  
 haud edunt, sanitatem recuperet; quoniam in historia  
 medica exempla constant, quod *inverdum* deplorati &  
*desperati* morbi, imo fere agonizantes ægri cum *admiratio-*  
*nem amissam sanitatem* confecuti fuerint: alter respectus  
 versatur circa ægrotantes, quibus *omnis naturalis spes sal-*  
*vanda* vitæ derelicta, ut non nisi *exitum* vitæ expectent:  
 Quoad priorem statum medici, & qui fiducia se lactant,  
*tandiu* sperant, quam diu ægrum *spirare* aspiciunt; & si  
 illi *omni* fere consilio & auxilio humano & artificioso ex-  
 hausti & *destituti* sunt, si ægrum mortem *aborrescere*, &  
 vitam aliquondiu enixe optare & anhelare sentiunt, ad  
 han*c myratoriam* curam configuiunt, de quo officio alii  
 asserunt, es sey nur ein Aufenthalt oder Fristung: alii ve-  
 ro ægri, qui beatam *analysis* anxiæ *optant*, juxta illud  
 wie sich sehnt ein Wandersmann, &c. illi potius *talem* me-  
 delam *improbant*, & deprecantur, man solte sie nicht quâ-  
 len und aufthalten, man verlängre nur ihre Leidenschaften,  
 Schmerzen und Schwäche. Idem etiam cum *illis* suc-  
 cedit, qui *salvari* plane *nequeunt*: in hisce utrisque *vitione*  
 tamen aliquondiu optantibus, & ob varias causas illius *pro-*  
*longationem* a medicis petentibus, artifices vel a *pharma-*  
*cia* ad *culinam* configuiunt, & media congrua *alimentosa*  
 & *roborantia* feligunt & ordinant; unde alii restari solent,  
 die gute Pflege und Wartung habe die Kranken so lange  
 gefrischt und erhalten. Et quoniam tales ægri ob magnam  
*infirmatem* parum adhuc perferre possunt, ita talia præ-  
 parantur & offeruntur, quæ *pauco* etiam quantitate aliqua-  
 lem tamen *medicum* effectum promittunt; in hac necessi-  
 tate ordinantur *juscule roborantio* e caponibus & gallinis,  
 aut

aut medicamentosa e radicibus esculentis & dulcibus, ut  
 & herbis lenientibus, cancris fluviatilibus, conchis, &  
 piscibus mollioribus elixatis, parata, *lacticinia* dilutio-  
 ra, decocta & juscula e Succolata, varia embammata e  
 mica panis, medullis animalium esculentorum, cum vi-  
 tello ovi confecta; *gelatinæ* culinares e cruribus vitulinis,  
 raf. eboris, scorzonera. cinnam. cardam. flaved. citr. pas-  
 ful. min. pineis tritis; *tortaæ* panariæ mediocriter aromati-  
 fatae, Saccharum cum flor. recentibus aurantiorum, exi-  
 guo olei cinnam. de cedro, pulv. mastich. & ambra mix-  
 tum; huc aliqui *emulsiones* aut domesticas, aut pharma-  
 ceuticas, & præcipue perlatas, elæosachara cum oleis  
 cinnam. de cedr. L. rhod. &c. cum sorbilliono ingerenda:  
 huc pertinet *Essentia* flor. naph. cum spiritu rosarum, aut  
 aqua cinnam. vinosa extrahenda, cum *Essentia* dulci &  
*Succini* balsamica combinanda. Huc etiam varia *selecta*  
*pharmaceutica* subiecta alia referuntur, velut *confectiones*  
*Alkermes*, *cinnamomi*, *cirri*, *cordialis*, *pretiosa Myn-  
 sichti*, *Regia*, *Hyacinthi*, *Smaragdina*; variae *species*  
*cordiales*, lœtificantes, aromaticæ rosatæ, diacinnam,  
*diamajoranæ*, *diambræ*, *diamoschu*, *diamargariti*, *di-  
 anthos*, *diaolibani*, *dia solis Mynsichti* &c. quo varii  
*pulveres*, *elixiria*, *eleætuaria* magni tituli & majoris ad-  
 huc promissionis adscribuntur; & quid dicamus de variis  
*secretis* præparatis, quibus quasi *jus vita & necis* tribui-  
 tur, vnde etiam prædicationem & commendationem a  
*vita mutuo acceperant*, quæ utpl. adhuc cum *spe* propi-  
 niantur, quando *ulsimus* fere halitus expectatur, wann  
 der Todt einem schon auf der Zungen sitz; ut nonnunquam  
 morientes citius inspirare & deglutire *desinant*, & talia  
*mira-*

*miraculosa* remedia, velut ultimum viaticum, adhuc in  
faucibus hærent; Præterea etiam aliorum protestationes  
atque querelæ, quando talibus ægrotantibus *nulla* natu-  
rali arte aut potestate *salvandis oracula* talia & *titulis* ma-  
gis, quam *virtutibus* splendida remedia obtruduntur, per-  
cipiuntur, rectius & æquius ab ejusmodi mediis *abstinen-  
dum*, quia præter *exiguam* moram & mortis retardati-  
onem nihil ad vitam *prolongandam* & sanitatem repa-  
randam efficiunt, quin verius mortem *difficilem* gravem  
& anxiam reddunt, & *dystanasiæ* causantur, man quâh-  
le nur die sterbende darmit, und mache ihnen den Tode  
schwehrer und ängstlicher, und da man sie nicht beym Leben  
erhalten können, solle man sie nicht vergeblich aufhalten.

## §. VIII.

Ob id ejusmodi Medicina Moratoria *conscientiosa*,  
judiciosa & comparate *fructuosa* esse debet: nam indiscre-  
tim tales ægrotantes sub vana & *fallaci* spe medicamen-  
tis onerare velle, minime convenit, quare prius delibe-  
randum est, an *zolis* retardatio mortis *spiritualibus* æque  
ac *naturabilis* commodis ægri acquirendis inserviat, an  
etiam ægro ita *grata* sit, ut sub quoconque successu cir-  
cumstantiarum, & qualitatum morbi illa *desiderata* sit,  
quoniam sepe ita *miseri* decumbentes *mortem* potius,  
quam *longiorem* vitam optant, ut afflictionum, dolorum  
& passionum suarum terminum tandem atque *clausulam*  
acquirant: & quemadmodum interdum *consanguinci* &  
amici ægrotantis *longiorem* vitam optant, aliquando et-  
iam *urgentes*, sonticas & necessarias hujus voti causas ha-  
bent, prudens tamen medicus dijudicare debet, an *bac-  
mora* sine ulla offensa impetrari valeat, ne *animæ* & *cor-  
pori*

pori ægroti inde detrimentum quoddam accrescat: etenim  
 diutius sub magna afflictione decumbentes non raro cum  
 Iobo valde impatienter calamitates & cruciatus suos per-  
 ferunt; quis itaque, dum juvare non potest, misero æ-  
 gro ærumnas suas bona conscientia prolongare contem-  
 dat, dum certius sub ejusmodi circumstantiis persuade-  
 re sibi poterit, quod sub tali mora passiones non miti-  
 ores, sed potius acerbiores evadant: nam palliativa in-  
 terea cura procedere, & symptomata solum sopire, tan-  
 tum efficit, ut radix & causa morbi potentior & acerbior  
 reddatur, ideoque proxime insultans impetus morbi tan-  
 to gravior & turbulentior reddatur. Quodsi vero peri-  
 tus medicus ex ægrotantis statu colligere & judicare po-  
 terit, quod sub mitiori & tolerabiliore ejus qualitate mor-  
 bum aliquamdiu protrahere & accelerantem obitum retardare,  
 eo ipso autem & ægri desiderio & amicorum peti-  
 to & beneplacito satisfacere poterit, tunc utique hoc in-  
 passu & conscientiae & prudentiae medicæ officium admi-  
 nistrare potest & debet: interea afflito non danda est  
 major afflictio, quæ in nonnullis prædictorum casuum fa-  
 cile frivola mortis retardatione & promiscua moratoria  
 medicina excitari potest. Propterea autem medicus mor-  
 tem non promoveret aut accelerat, si illam non retardat,  
 quia nihil directe confert, sed naturali præsentium causa-  
 rum & circumstantiarum, quoad fundamentalem respe-  
 ctum incorrigibilium & immedicabilium morborum, sta-  
 tui liberum successum relinquit, & tantum conscientiae,  
 peritiae & officio in arte medica satisfacit, ne negligen-  
 tem & otiosum spectatorem se gerat, ut proximam mor-  
 bi causam tamdiu coercent, insuper vires naturales reficiantur,  
 quo-

quousque per artis potestatem progredi potest, interea  
 sine causæ *principalis* alteratione & correctione, talis ro-  
 boratio virium duntaxat *palliativa* est, & si ultra sphæram  
 continuatur, magis sub misera vitæ prolongatione toler-  
 tantiae morbosarum calamitatum fauet, unde denuo illa  
 dictæ resonant, der Verstorbene wäre nur durch kōstli-  
 che und stärkende Arzneyen so lang erhalten worden. Vix  
 vero quicquam conscientiæ, peritiæ & prudentia medi-  
 cæ probandæ inseruit, si ejusmodi ægris talia *miraculosa*  
 aut *faustosa* remedia magna copia obtruduntur, v.g. si  
 certi pulveres, Tincturae, olea, balsama, Essentiæ &c. So-  
 lares, vitales, animales, cordiales singulis horis *debili-  
 bus* ægrotantibus ingurgitantur, ut *empirorum* more  
 inde *fortuita* salubris operatio acquiratur: quæ *accumu-  
 latio* remediorum post obitum talium subjectorum aut  
 taxatur, aut indicatur, si forrassis citius cadavera colore  
 & consueto habitu corporis mutantur, ut mox livecant,  
 nigrescant, intumescent, colliquescant, putrescant, hinc  
 statim consequentem remediorum operationem accusant.  
 Tales *moratoria* itaque curationes cum prudentia exer-  
 cendæ sunt, quo *aliquale* commodum *agro* præc. conve-  
 niens inde acquiratur: nam hæc functio & sollicitudo ad  
*rationalem*, minime vero empiricam & imaginariam spe-  
 ët Medicinam: facilius enim ægrotantibus, *immedica-  
 bili* morbo oppressis, *cerebrinam* vitæ *prolongationem* pro-  
 mittare, sed cum *exopratio* effectu & successu *bond* præ-  
 stare possumus: ideo hæc moratoria medela sec. *judici-  
 osam* exercitationem suos habet *limites*, quos quidem  
 levis & frivoli animi medicus transgredi, ideo autem æ-  
 groto *graviorem* molestiam causari potest, attamen pru-  
 D 2 dens

dens artifex ad certum terminum prosequi scit, ne ægro *majorem* afflictionem afferat. Eo ipso tamen Almus & summus humanæ vitæ Rector & director firmas & stabiles suas leges, quoad *vita & mortis* terminum conservat, alias remedia homines, si mortem retardare, etiam *immortales* fere reddere possent: sicut ne quidem *tam diu* moratoria medicina *efficax* & operola esset, nisi hoc divino auxilio, arbitrio, concessione & moderamine fieret.

## §. IX.

Quamvis quidem hæc Medicina *moratoria* in non nullis morbis *rationali* directione & *solutari* destinatione locum inveniat, tamen quidam vicissim *alii* occurunt affectus, qui quoad suum *genium* uplurimum in *regulari* suo cursu & statu hanc *retardationem* magis respuntr, quam admittunt. E numero talium morborum *principem* velut locum occupant *Febres continuae* s. *Malignæ*, s. *benignæ* fuerint, quæ *typum* & *periodum* servare solent, sub quo decursu *ordinaria* medicatio *essentialibus* suis indicationibus respondere deberet, quo etiam *virium roborationis* pertinet: si vero cum *febrifugis*, aut *consuetum progressum* febrium impudentibus remedii & experimentis *remoram* aliquam injicere cogitaverimus, tunc facilis *funeustum* febrium earum exitum præcipitamus: aliquando etiam remoraæ *benignis continuis* febribus injectæ periculosa confusiones & *metamorphoses* morbosas, velut *anomalicas lentas* aut *hecticas* consecutiones causantur. Quare *typus* & *genius* *talium* febrium rectius constantem & *ordinariorum* prosecutionem medicam ita requirit, ut juxta *acutam* indolem, *nulla* moræ concedantur & intendantur.

dantur. Quod autem ad *intermittentes* febres attinet tunc quidem *ipse typus* earum *moratorius* est, propterea *intermissiones* complectit & intervallum admittit: quando vero *superflua* mora illis conceditur, tunc varia *præjudicosa* consectaria expectanda sunt: enim interdum progressus talium febrium ita *pertinax* est, ut posthabita continuatione alterantium, evanescant & roborantium nihilo tamen secius insultus febries *obstinatae* insistant & progrediantur; sub qua *mora* frustra *spontanea* febris *cessatio* expectatur; hinc potius febris lenta, tabes, viscerum abdominalium atonia, magna virium jactura & enervatio, Status cachecticus, cedematofus, graviores ordinariarum excretionum turbæ & multa spongiosa pathemata superveniunt: Porro *moratorium* medicinam *baud* admittunt *alii* morbi, qui ad classem *acutorum* pertinent, & *breviorem* decursum requirunt: hic imprimis spectant *inflammationes*, quæ licet non *præcipitandæ* sint, tamen sine mora quam primum ad proximum effectum *discussionis* congrue promoveri debent, *ni retardatio* motus inflammatorii tumores duros sanguineos & perniciose corruptiones post se trahat. Quodsi etiam peritus medicus observaverit & ex certis indiciis agnoverit inflammatorium quendam processum toto imperu ad *suppuratorium* effectum contendere, tunc nulla huic progressui injicienda est mora, sed congruo *moderamine* ad hunc effectum impetrandum levemen procurandum est: Ita præterea arduis, præcipitibus & fortioribus *congestionibus* nulla mora concedi debet, ne vehementia & acerbitate sua crescendo *periculosoer* consecutiones inferant, ut quo magis tali mora illis indulgetur, eo pertinaciores & impetuosiiores

ædem evadant, je mehr man ihnen nachgiebt, je schlimmer sie werden: quare sine ulla mora illarum rigor & vigor **leniendus**, mitigandus, sedandus & coercendus est. Idem etiam sentiendum erit, de acerbioribus *Spasmodicis* & similibus affectibus multos cruciatus *dolorificos* inferentibus, velut arthriticis, colicis, nephriticis, imo ipsis podagricis &c. in quibus quidem patiens & *continens* animus, ast non *moratorio*, sed verius *curatorio* respectu indicatur: nam quo *diutius* mora quædam illis morbis indulgetur, eo *immoderatores* & graviores illi continuo suo *acremento* evadunt: morbi enim *spasmodici* nec *cogi*, nec *negligi*, nec molliter & *indulgenter* tractari volunt; quo plus enim *mora* acquirunt, eo impudentiores, insolentiores, vehementiores & frequentiores evadunt. Omnes morbi *subitanei* extemporaneam & assiduam opem postulant, in quibus periculum in mora est, quia *proxima* causa *morbifica* subitam efficaciam *perniciosa* exserit, cur propterea *confestim* & continua sollicitudine resistendum est; tales enim affectus *citius* ad *funeustum* properant extum: hujus qualitatis etiam sunt graviores affectus *biliosi*, in quibus causa *morbifica* *nunquam* otiosa, sed indefinienti effectu *perniciosa* est, cui etiam constanter *resistere* convenit. Quis etiam in affectibus præsentaneam *suffocationem* comminantibus, in morbis venenosis, propinato philtro & veneno, *subito* suppressis *salutaribus* & necessariis excretionibus moram exercere duntaxat in deliberationem capere suscipiat, quin e simplici ægrorum intuitu cognoverit, quod in tali necessitate nec ullum apparentem usum atque locum aut *expectatio* aut *moratoria* curatio habeat.

§. X.

## §. X.

Quemadmodum igitur in morbis *præcipitis* decursus, quorum *causa* morbifica non modo *magis pernicioſa*, sed etiam *citatoris* efficaciam est, *mora medica* vix locum invenit, ita potius affectus *lenitoris* progressus quos tardos, diurnos & *chronicos* appellant, teste *Otav. Horatiano Libro II. revum medicarum*, eandem admittunt, in quibus tantisper vires decrescentes medico fulcimento refici, nec non causa, morbi ejusque effectus paululum *coerceri*, offendicula reliqua quadantenus & *aliquandiu* arceri & removeri, ideoque *funebris* exitus *retardari* potest, id vero justo meru in rati situ expectandum est, fore ut aliquando propter talem *moratorium* medicinam istiusmodi morbis *Hætico* accidat febris, quæ antea ab erat, & dehinc idem affectus ad *letbalem* eventum properet: Quamvis quidem in talibus morbis ob afflictionum *diuturnitatem* varii ægri, anxiis suspiriis querant: *custos quid de nocte!* Hüter ist die Nacht schier hin! & cum Psalmista suspirioso expertum voto: *utinam alas haberem, ut columba, quibus in turum evolarem; equidem procul discederem, defersis manus suis in locis*, qui propterea dissolvi cupiunt, ut in pace dimitterentur & suarum calamitatum *finem* propediem nanciscerentur; attamen non pauci sunt, qui ad ultimum fere halitum usque vivere *diurius* optant, anhelant, desiderant, sperant, ist keine Hülfe und pardon mehr da! qui *sub mora* cum aliis sperant, an fortassis *moris* periculum sint evasuri. Ad causam talium morborum pertinet *Pribisis*, & præc. in junioribus, *sensibilioribus* & *delicatioribus* subiectis, *mortem* valde *expavescentibus*; & ob *juventutis* privilegium & characte-

characterem longiorem vitam anhelantibus, man sey noch zu jung zum sterben; haec inquam subjecta compendinaram hanc Medicinam, & dilationem sape procuratam ambabus amplectuntur. Et heu! quam acerba & amara mors junioribus Hecticis est; qui cum ARISTOTELE Lib. 3. Erbic. c. 6. de illa judicant: *tam dirum & formidabile monstrum, quem non terrebit, nisi cui sit ferrea fibra, non observantes, quod diu vivere, sit diu torqueri*: Tales ægri diutius hoc affectu detenti ægrorare quasi consuescunt, si paululum *mitiora* fuerint symptomata: ideo *diutius* vivere præoptant, & talem *prorogatam* curationem annuente beneplacito excipiunt, quæ interdum eo usque efficax est, usque dum patiens præter omnem expectationem, aliquando ita clanculum expirat, ut alii id non observarint. Et quid de aliis *successive* morientibus, *sabe, marcove, atropbia, marasmo* laborantibus, qui *lente* & corpore & viribus *consumuntur* & evanescunt, sic zehren sich nach und nach aus und auf. Et licet in talibus ægris aliquando indicia melioris status & *bonæ Spei* affulgere videantur, dum subjecta viribus paulo magis robورata, *colore faciei vivaciori*, appetitu naturali &c. prædicta esse apparent; attamen haec spes & confidentia nec *durobilis* est, nec *consequentem deterioriem* metamorphosis & exacerbationem avertit: Tales etiam morbi non nunquam & *medicos & ægros & ministrantes* decipiunt, quando interdum ordinata remedia *melius* operantur; Si vero una & iterata vice status morbi ita *instabilis* est, runc attenti medici totam spem in *irritum* cedere sinunt, & ad palliativam ac *moratorium* confugunt medicinam. Idem etiam quandoque de *Hydropicis* diversis affectibus sen-

sentiendum est, qui non modo *tarde* oriuntur, & *lente* progrediuntur, sed sub eadem cunctatione tandem *hemicum* affectum in consortium suum ducunt, ut sub *tali morbo*, huic morbo velut genuina & consueta, *medicus suam* moratorium curam commode *affociare* valeat, imprimis dum in hoc statu morbo non tam *accelerata* offendio extimescenda est; hinc curæ per purgantia, diuretica, per vesicatoria & paracentesin, per tonica & roborantia in *inveterato* & consummato tali morbo *uppl. moratoria* sunt, quæ fontem *non obstruunt*, nec *radicem* mali extirpant, sed per *ambages* sœpe operantur, & *intesta* vera causa tantum effectus, conjectaria, accidentia & *symptomata aliquandiu* leniunt & mitigant, ac ita celeriorem obitum auertunt. Non meliori successu curationes in *polypo cordis*, magna & gravi *induratione pulmonum*, pertinaci *infarctu viscerum abdominalium*, lata & diurna *concretione* pulmonum cum pleura, asthmate chronico, intricatis morbis nervorum *spasmodicis*, obscuris & *occulis* affectibus *cerebri* & multis similibus affectibus, gaudent; quos *radicitus* tollere, haud sœpe in *artis* potestata est; unde nonnunquam *palliativam* & *moratorium* curam in *iisdem* exercere *occasio* jubet atque permittit.

## §. XI.

Nec alii affectus *agre sanabiles*, aut plane *incurobiles* desunt, qui porro ad *obirurgicum* imprimis forum pertinent, in quibus eadem cura moratoria locum adhuc inventit, quando reliqua *parum* utilitatis amplius promittit; qui si non funditus curari possunt, tamen protractionem talem, ne penitus *æger deseratur* & *fatali* prognostico relinquatur, postulant & admittunt: Quam desperatus af-

E fe-

Effectus *Cancer occultus* sit, ab antiquissimis jam temporibus & testimoniiis innotuit; ut periti & circumspecti artifices habentius a *positiva* ejus cura abstineant, quam sollicite illum urgeant & aggrediantur: hinc consultius esse plurimi judicant, si hæc cura *remotive* rectius tractatur, ut videlicet quælibet in & externa offendicula, malignum hunc affectum exacerbantia, assidue arceantur; ast quoniam hæc medicatio directe *latitans* malum non emendat, sed velut per *ambages* operosa est, ita rectius huic *moratoria* medicinæ accensenda est, quæ tantum *præcavet*, ne palmarium malum tam *accelerata* capiat incrementa, ne *funestus* eventus citius ingruat: quadrat hoc *Hippocratis* monitum, *medicus aut proficit, aut non noceat Lib. de insomn.* & *de affect.* ut & *Galeni Lib. de method. med. Lib. 14. c. 13.* consilium: porro nonnunquam *desperati* & intricati tumores *Sanguinei* occurunt, qui modo *duri* & renitentes sunt, modo *molles* & lenes fiunt, ut exploratorum ad *falsum* judicium seducant, quasi hæc mollities intus latitanti *præparatae* & suppuratae materiae tribui debet: Si itaque tales tumores frivole & *præmature* aperiuntur, tunc vel *incoercibile* inde sanguinis profluvium excitatatur, vel ob *aëris* liberiorem accessum pernicioſa *corruption* invitatur & *acceleratur*, ut postea tales experimentatores optent, quo illos tumores *intactos* reliquerint, nec unquam ad eorum *operitionem* consilium dederint, aut manum admoverint. In tali igitur casu *dubio* atque *spinoſo* rectius *moratoria* cura adhibenda est, ne videlicet *deteriora* accrementa malum hoc capiat; quare *remotiva* medela talem *moram* conciliat, sub qua *diutius præsens* affectus in *antiquo* statu continuat, nec ad *funestum* evenit.

ventum properat: Ejusdem qualitatis sunt nonnulli alii tumores, qui antiquum ulcus occlusum continent, ast hoc usque nulli medelæ obtemperarunt, quin potius ulteriores lentos progressus fecerunt; tale ulcus etiam est *phaga edenicum* aut malignum, cum cancro admodum conveniens, quod *Arnold. VILLANOVANVS* in *Breviar. L. i. c. 48.* in facie obricens *noli me tangere*, in medio corporis exoriens, *Cingulum*, in pedibus eveniens *Lupum*, *vix aut nunquam curabile* vocat; quo etiam *malum mortuum* ein *Edten-Bruch* referri potest: talia *occlusa* ulceraria *muleam* sollicitam & officiosam medelam non admittunt, & quia communiter *percurari* nequeunt, ideo *pri-vorivom* tantum therapiam tolerant, quæ constanter & assidue coercere, *arcere* & removere debet, quid hoc malum irritare & depravare potest; quæ cura proinde non alia, quam *moratoria* est, quia tantum valet & efficit, quo minus *graviora* symptomata, imprimis præcepis *het-rica* mortem, ob hoc malum certius expectandam, accelerent. Ad hanc classem difficiliter curabilium & interdum plane insanabilium affectuum referri quoque possunt *Fungi junctivarum* die *Glied-Schwämme*, nec non *Spina ventosa*, quæ cum Pædarthroce quadantenuis convenient, quo non patet facilis, directus & proximus remediorem *accessus*, ut propterea hi affectus *facilius ac-crescant* & arti medicæ *resistant*, donec *rabes*, febris lenita aut hecica, aut paralytic superveniant & tragicum finem imponant, pro hoc aliquandiu avertendo, *talia consilia* & media feliguntur & adhibentur, quæ *perniciosos* illorum affectuum progressus *intercipiant*, & ita aliquam *moram* conciliant, quia in nonnullis subjectis curatio e

*fundamento & positiva* locum non facile invenit, siquidem usus thermarum, acidularum, Lactis, Sacchar. Lactis, remedium balsamicorum &c. *non omnibus & semper* proficuus esse deprehenditur: in qua necessitate medici partim cum ipso *affectu*, partim cum *symptomatibus* illius occupationes suas medicas prosequuntur, illos videl. ab accessoriis *exacerbationibus* defendendo, haec vero aut *avertendo*, aut *leniendo*. Nec alio modo quandoque tractanda sunt *in veterora*, refractaria & rebellia *ulcera* quædam manifesta & conspicua, alte Schäden, in subiecto jam *ad ultiori*, quasi effoeto, enervato & *cacochymico* obvia, in quibus tale malum *immedicabile* existit, quod tam diu inflatisfit & affligit, donec Hæstica, aut *Tubes & Marasmus* supervenient mortem caufatur: in qua calamitate iterum ars medica nonnunquam *celeriorem* obitum *retardare* & per officiosam offendiculorum interceptionem *moran* procurare potest.

## §. XII.

Hæc tenus allegata Medicina *Moratoria*, & *licita*, & *artificiosa*, & *bona fæta*, & quandoque *necessaria*, atque *accepta* est: interim non raro multorum hominum animos *plebejus ille merus* atque opprobrium vulgi angit & detinet, quod medici & chirurgi affectus nimium prolongent, sie hielt den die Krankheit zu lang auf, machen einen langwierigen, alten Schaden daraus, sub præsumptione & suspitione, ut modo *lucrum* auctius & quaestum pinguorem faciant: quoniam etiam hic casus *dabilis* est, ideo *improbus*, *illicitus*, culpabilis & reprehendens est, imprimis si minus ingenui medici, aut iniqui *medicæstri* ex instituto,

ma.

malo dolo, aut doloso animo curam suam procrastinante:  
 nam si quandoque medici *errorem* practicum committere  
 possunt, quotiescumque bona licet intentione, attamen  
 præter necessitatem unum alterumve morbum *diutius*  
 protrahunt, v. g. si Haemorrhagiis, spasmis, febribus  
 intermittentibus, Sudoribus morbosis, alvi fluxibus, va-  
 riis aliis excretionibus *nimirum* *indulgent* atque conni-  
 vent, sub spe, tales affectus *sponde* remissuros atque des-  
 turos esse, nec *rígorosa* alia medica cohibitione indigere:  
 quo ipso autem *nimirum* cunctando affectibus talibus sœpe  
 magnum provocatur *præjudicium*, si non plane grave in-  
 trudetur *damnun*: ob id quod hunc respectum nec ni-  
 mis *timide* in officio suo procedere convenit, nec *nimirum*  
*naturæ* viribus, fidei, moderamini ac dexteritati tribue-  
 re decet, quoniam crebra exempla restantur, quod præ-  
 dicti affectus aut in *excessum*, aut in exorbitantem & præju-  
 diciosum *habitum* degenerent, in quibus casibus utiq. ob pe-  
 riculum in mora ideo tempestive, occurrere experientia  
 docet. Aliovero vicissim atque *iniquo* modo curatio affectu-  
 um morbosorum *retardatur*, ne tam cito artificiose medela  
 finiatur: aliquando enim in *regorantibus robusto* atq. vivax  
 qualitas *naturalis* deprehenditur, qua nonnullæ morbosæ  
 aggressiones & afflictiones vel *sponde* curantur, quas *multis*  
*artificiosis* aut plane heroicis mediis tractare minime con-  
 venit, quia facile illoræ tales manus liberum & *spontane-*  
*um* *ordinem* turbant, præsentem affectum in *schemate suo*  
*confundunt* & *corrumpunt*, adeoque *conversionem* mor-  
 bi *mitioris* & *flexilioris* in *obstinorum* magis atque diutur-  
 num causantur; inde postea tales morbi originem ducunt,  
 in quibus medicina moratoria, sed *peccaminosa* magis,

quam *justo & artificiosa* locum invenit, de qua interdum recte judicat populus, es sey gleich im Anfang der Krankheit versehen, man habe der Krankheit so lange nachgesehen und den Willen gelassen. Maxime autem improbanda illa *lucroſa & fraudulenta* medicina *moratoria* est, qua non in *ægri*, sed *proprium* commodum morbi *prolongantur*, qui dolus *voriis* in morbis & diverso modo exerceri potest, ut dein tales morbi *funestos* nanciscantur eventus: interdum cum *dolosa* tali dilatione etiam *imperitia* concurrit, quando v. g. quidam tumores *primis* initis opportune & facile resolvi potuerant, nunc autem attrahentibus, emollientibus & maturantibus tractantur, ut cura in *longiore* moram extendatur: tales *erroneæ* moræ non incognitæ sunt in *tumoribus* quibusdam *mammarum*, unde *diuturna* aut plane *cancroſa* ulcera genita & provocata fuerant: similis *culpoſa* mora quandoque *initiantibus* ulceribus superficiari medela adhibetur, sub qua *latius ac profundius* illa progrediuntur, *pernicioſam* magis qualitatem induunt, & tandem in veteratum malum constituunt, ut *moratoria* medicina in tali statu *tamdiu* valeat, donec *rubes* & *hectica* huic tragediæ finem imponant: in *febre tertiana* cum digestivis remedii tamdiu moram nectere possunt, donec indoles febris in *perrinacem* consuetudinem degeneret, aut *nova intricata* accidentia superveniant, velut colica, diarrhœa, lenta febris &c. sub qua *converſione* semper moratoria curationem exercendi mala arripitur occasio: inter omnes autem morbos *Hypochondriacus* affectus facile ad *imperitam* medicinam *morotoriam* non raro allicit, quando martialis, stomachica, antacida, opiate frivole & promiscue adhibentur, quibus remediis

mediis *talis* morbi status excitatur, in quo dein iudiciorum curatio moratoria liberum atque amplum invenit campum, donec *Scirrhi viscerum incurabiles*, icterus pertinax tabes, febris lenta, tympanitis, heptica, hydrops &c. huic tragœdiæ clausulum constituent: Ast plura quoad hanc observationem practicam addere nec necessitas, nec institutum nostrum postulat: quare huic tractationi practicæ finem imponimus, proinde autem Deo devotissimas tribuimus laudes, quod ad præsentem deductiōnem gratiam suam largiri voluerit, quem humillimis etiam flagitamus precibus, ut cœlesti suo adjutorio atque moderamine efficiat, quo gaudere possimus de futuro prospero conatum nostrorum successu atque

exoptato

F I N E.



*NOBI.*

*NOBILISSIMO CANDIDATO*  
**CHRISTIANO SIGISMUNDO**  
**BECKERO**

S. D. P.

**CHRISTIANUS WOLFIUS,**  
FRIDERICIANÆ PRO-CANCELLARIUS.



ESCOLAPII filios rectis studiis ad  
arrem salutarem contendere debere,  
nemo in dubium revocabit, nisi qui  
ignoret, quid Poliater distet ab em-  
pirico, cui ipsi AESCOLAPIO opus  
est. Enimvero quænam sint recta ista studia, non  
omnibus æque perspectum ac exploratum videtur,  
plerisque ex se statuentibus, quid sit agendum aliis.  
Dicam, quid mihi videatur, qui nihil asseveranter  
affirmo, antequam in rationis trutina suspensum u-  
su & experientia comprobatum deprehenderim.  
Recta igitur studia aut animum ad artem salutarem  
fideliter descendam & dextre exercendam præpa-  
rant,

rant, aut eam adminiculo fulciunt ejusdemque funda-  
menta jaciunt, aut præceptis mentem formant.  
Ad primam classem refero Logicam, Arithmeticam  
& Geometriam, nec non Philosophiam moralem;  
ad secundam Metaphysicam, Physicam tam dogma-  
ticam, quam experimentalem, Anatomicam, Botani-  
cam, Chymiam; ad tertiam denique partes Me-  
dicinæ proprie sic dictas, quarum altera, quæ Hy-  
giene vocatur, & ad sanitatem præsentem tuendam  
facit, Physiologicam & Diæticam, altera, quæ  
Therapeutica fert nomen & sanitati collapsæ instau-  
randæ servit, Pathologicam, Semioticam & Cura-  
toriam complectitur: ita enim cum OLIGERO JA-  
COBAEO (a), præclaro quondam in Academia Haf-  
nensi Medico, totam artem Medicam commodissi-  
me absolvı exstimo. Logica nos instruit, quomo-  
do operationibus mentis sit utendum, ut veritatem  
agnoscamus, verum a falso, certum ab incerto, pro-  
bable a minus probabili separando, siquidem no-  
men suum tuetur: quod unde nobis innoteſcat, ne  
nobis fumum vendi patiamur, in Prolegomenis Lo-  
gicæ luculenter ostendimus. Quam adeo necessa-  
rium sit futuro Medico Logicæ verioris studium,  
diserte doceri potest, si per ambages incedere lice-  
ret, nec sine multo acumine ex modo diætis utili-  
tatem, quam pollicetur, prævidere daretur. Sane  
TIMÆUS von GÜLDEN-KLEE, Electoris Brandenburgi-  
ci, cum viveret, Archiater, maximæ in arte sua auto-  
ritatis, cum de studiis recte instituendis filium in-  
strueret (b), Logicæ studium strenue ut urgeret,

F

ante

(a) in Compendio Institut. Medic. p. 1. &amp;c 2.

(b) lib. 6. epist. 3. p. 844. Oper.

ante omnia inculcabit. Monuit vero idem filium suum & recte omnino monuit optimum magistrum esse usum: neque enim sine hoc regulas rite ac dexteræ applicandi habitum consequi, nec (quod in omnibus, quæ ad praxin tendant, maximi semper habendum) illarum veritatem in nobismetipsis experi-ri datur. Eo igitur fine non perfunctorie versandum est in elementis Arithmeticæ ac Geometriæ, quippe quæ veram Logicæ praxin continent, & ve-rioris Logicæ lapis quidam lydius sunt, siquidem **E U C L I D E** o more tradantur: id quod agnovit **H I P-P O C R A T E S**, non alia de causa Geometriæ studium filio suo tantopere commendans. Etsi autem hæc non adeo difficulter admittantur, nullus tamen du-bit fore haud paucos, qui mirabuntur, quod inter studia præparatoria ad artem medicam referamus studium Philosophiæ moralis. Enimvero hi erunt, quibus non minus absbonum videbitur, quod **V I T R V V I S**, cum de Architectis instituendis verba faceret (c), in Architecto requirit, ut Philosophos, morum doctrinam profitentes, diligenter audiverit. Quemadmodum autem is ex vero ait: *Philosophia perficit architectum magno animo, & uti non sit arrogans, sed potius facilis æquus & fidelis, sine avaritia, quod maximum est. Nullum enim opus vere sine fide & castitate fieri potest. Ne sit cupidus, neque in muneribus occipiendis habeat animum occupatum, sed cum gravitate suam rueratur dignitatem, bonam famam habendo;* ita similiter de Medico idem affirmandum, ut non quæstum in arte sua faciat, ex ditiorum opibus, quæ stultitiam patiuntur, rem suam augendo & ne-  
scio

(c) lib. I. c. I.

scio quæ arcana; tanto scilicet! magis celanda, quanto magis salutaria generi humano prædicantur, sub speciosis titulis circulatorum instar convendendo, quasi non sine circulatoria jactatione & artificio G A L E N U S daret opes. Exemplum enim Medici magno suo merito celeberrimi, BOERHAAVII contrarium docet, qui artem salutarem vere, nec abs que fide ac casta mente & docendo, & exercendo tantas acquisivit opes, ut, cum concederet, hæreditatem bis millies mille florenorum filiæ traderet (d). In Metaphysicis Philosophia prima offert recte ratiocinandi principia, inconcussa omnis scientiæ solidæ fundamenta, Cosmologia cum eadem arcet ex Philosophia naturali & theoria medica hypotheses, Psychologia cavet, ne summa confusione quæ sunt corporis ea animæ tribuas, & pharmacis curare velis, quando animus a morum philosophia medelam expectat: Physica denique a commentitiis hypothesis libera, & observationibus ac experimentis legitime promota Medicinam reddit rationalem. De Anatomia, Botanica & Chymia non est quod dicam, cum indispensabilem in Medicina usum negare non ausit, nisi qui totus empiricus fuerit ac rationi omni valedixit salutem ægrorum audacibus testamentis committens. Neque mihi jam propositum est docere, qua via sit eundum, ut singulæ artis Medicæ partes animo rite comprehendantur, qui tantummodo indicare volui, quænam sint discenda, ut quis Poliatri nomen mereatur. Tu, NOBILISSIME CANDIDATE, rectam studiorum viam ingressus es, ubi ani-

F 2                          mum

(d) Hist. de l'Acad. Roi des Scienc. A. 1738. p. 116. edit. Paris.

mum ad artem medicam appulisti. Neque enim ita eandem coluisti, ut studia, quæ adminicula afferrunt & solida fundamenta jaciunt, negligeres, ea vero, quæ animum ad eandem præparant, alto supercilium contemneres, gregem cœco impetu secutus. Testis ego sum, quanta assiduitate, quanta diligentia Philosophiæ ac Matheſi operam navaveris, ut animum ad illam bene addiscendam ac in posterum exercendam præparares ac firma inde præsidia peteres. Testes sunt alii in illustri hac Muſarum ſede Profefſores clarifimmi, qua cum laude in Anatomia, Botanica & Chymia, atque in omnibus artis medicæ partibus fueris versatus. Quin adeo ſan- nis futurus ſis præſidio ad sanitatem tuam, ægris ſolatio & adjumento in collapſa instauranda dubitan- dum non eſt. Nulla urget neceſſitas, ut in laudes tuas excurram: commendabit artificem opus, quod ut feliciter ſemper perficias, Numen TIBI precor propitium. Fruere igitur honoribus, quos merito conſert ampliſſimus Medicorum ordo, non otioſus, ſed ut proſis aliis tam ſanis, quam ægris, & rem ex ſententia gere. Vale. Dabam in Aca- demia Fridericiana d. xxix. Jun. A. O. R.

cloccccc lll.



NOBIS

*OBONI* NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

# DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

## FRIDERICUS HOFFMANNUS.

**G**ratulantium **TIBI** amicorum numero acce-  
do rogatus. Nam quum **TE** per quatuor  
ab hinc annos inter medicinæ studiis addi-  
ctos primum cognoscere, honestate, mo-  
destia, & sedulitate nulli quicquam concedentem:  
cœpi ab illo tempore de studiorum **TUORUM** suc-  
cessu optime sperare. Eam vero de **TE** opinio-  
nem meam exitu nunc comprobatam video; post  
quam consentientibus ordinis medici membrorum  
suffragiis summi in arte medica honores **TIBI** sunt  
decreti, atque ut eos legitime obtineres, præcla-  
rum inaugurale specimen ad cathedram medicam,


F 3

ut

ut sit differendi argumentum, attulisti: ex quo do-  
ctissimus quisque, si T U I ingenii magnitudinem  
metiri cupit, non nisi bona eaque maxima de T U I S  
augurari potest profectibus. Cum enim non mor-  
bi solum modo sic modo aliter incedant, & vel cum  
majori vel minori symptomatum agmine conjungan-  
tur, sed, quod maximum, certis etiam temporis  
exacerbentur & remittant; T E rationem moræ  
in affectibus quibusdam curandis solito accuratio-  
rem habuisse, non possum non laudare. Quod su-  
pereft, gratulor felicem atque exoptatum finem  
academicorum studiorum, T U I S que plando hono-  
ribus, ominorque, quod Deus efficiat, ut in artis  
operibus exercendis ram industriam, quam solidæ  
doctrinæ fructus sis comprobaturus. De me illud  
persuasum habeas, me semper rerum ex votu T I-  
BI succedentium latum esse futurum spectatorem.

Vale. Halæ Magdeburg. a. d. XXV. Junii

ciclo cccxliii.



NOBI-

*PRÆCLARO ATQVE EXIMIE DOCTO*  
**DOMINO CANDIDATO**

FELICIA QVÆVIS PRECATUR

**HENRICUS BASSIUS, V. M. D.**

Cum amplissimum hodierna luce diligentiae  
TUÆ ac virtutis præmium, quod Hygæa  
culturibus suis tribuere afolet, applau-  
dente toto Musarum choro, jure merito-  
que, **CANDIDATE DIGNISSIME**, re-  
portes, non sane mihi temperare possum, quin,  
occasionem mei in TE animi cum significandi so-  
lum, sed publicitus etiam declarandi, jam nactus ex-  
optatissimam, Summos illos in arte Medica hono-  
res TIBI gratuler, atque, ut illi sempiternæ laudi  
& splendori TIBI TUÆ que FAMILIÆ sint, ex-  
optem. Ex quo enim mihi, **PRÆNOBILISSIME**  
**CANDIDATE**, cognitus es, omnium TE doctri-  
narum inque primis solidæ ac rationalis Medicinæ  
fuisse

fuisse perspexi semper studiosissimum. Atque quo  
magis T E omnibus commendares probaresque, ni-  
hil esse sensi antiquius T I B I aut prius, quam ut  
cum assiduitate atque in studiis diligentia, & morum  
elegantiam, & integritatem vita indissolubili sem-  
per nexus connechteres. Quo proinde factum est,  
ut omnium, qui virtutes colunt & observant, amo-  
rem sis consequitus & gratiam. Illud ipsum quo-  
que hoc medicum specimen cuivis permagno pot-  
est. Esse eruditio*n*is T U A argumento, quo haud  
obscure declarasti, iis omnibus T E esse abunde in-  
structum, quæ rationalem Medicum ornant. Ma-  
ste itaque virtute, DOCTISSIME CANDIDATE,  
pergeque illa via, quam, praeuentibus T U I S Præ-  
ceptoribus, ingressus es in hac Minervæ sede, ulte-  
rius progredi. Ceterum ex animi sententia opto,  
omnia incepta ut T I B I prospere ac feliciter eve-  
niant, quo in ægrotantium salutem, Patriæ commo-  
dum & cœlesti Numinis gloriā cedant. A meau-  
tem omnia summa in T E studia officiaque ut qua-  
vis occasione exspectes, velim vehementer. Vale.

Dab. d. XXV. Jun. ann. MDCCXLIII.



Opti-

He 157.8°

?

ULB Halle  
002 179 687

3



sb



